

ex hoc principio contra communem plerorumque sententiam disputat. Ad *Hulfium* uero ut reuertamur, ille sui ipsius quasi obliuiscitur, uti ab aliis id pariter obseruatum fuit. *Modo enim p. 7. sacerdotium, inquit, Melchizedeki consistebat in appropinquatione ad DEVM, non tam mactatione et expiatione, cuius rei hanc reddit rationem: quia in Psalmo et applicatione ad Christum nullus uel mactationis uel oblationis cruentae habeatur respectus; p. 37. uero exemplo Melchizedeki probare uult, sacerdotium, ut peculiare munus consideratum, constituisse in appropinquatione intima ad DEVM et in expiatione.* Et ne forsan suspiceris, expiationem illum non in mactatione, uti solet, sed in alio quodam ponere, ipsemet scrupulum hunc eximit, dum p. 40. orientales taxat, quod defendere uelint, *Melchizedeckum incruenta tantum obtulisse. Male, inquit, uolunt orientales, Melchizedeckum obtulisse tantum incruenta.* Idem p. 109. repetit, et rationem erroris hanc addit: *quia non sit sacerdotium aut peccati expiatio, nisi per mortem, sacrificium et sanguinem.* Imo p. 138. expresis uerbis scribit: *omnis sacerdos debet habere quid, quod offerat. Siue ante immolationem, siue in immolatione, siue post eam, ab offerendo enim est et dicitur Sacerdos.* Quod si ergo *Melchizedeckus* DEO obtulit et mactauit uictimas, et hoc, ut essentialis aliqua pars, ad sacerdotium pertinet, ita ut ab *offerendo* constituatur et denominetur omnis Sacerdos; qui hoc officium plus importare poterat appropinquationem, quam mactationem? Equidem ipse Vir Cl. haec quodammodo subodorari uideatur, hinc p. 109. distinguit inter sacerdotium *latius* et *strictius* acceptum, atque appropinquationem ad DEVM, refert ad conceptum *latiorem*, qui tum temporis obtinuerit. Quo ipso tamen, an sibi consulat, alii iudicent. Si enim in latiori saltem significato appropinquatio ad sacerdotium pertinet, minime formalem eius rationem constituere potest.